

I. N. D.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
De

SERMONE;

Quam,

*Consensu Ampliss. Fac. Philos. in Regia
Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi atque Celeberrimi,

M. HENRICI HASSEL,

Eloq. Prof. Reg & Ord.

PRO GRADU

Publicè examinandam sistit

ERICUS PETRI JUNG /

Nericus.

Ad diem XXIV. Novemb. Anni
MDCCXXIII.

Horis locoque ante meridiem
consuetis.

A B O Æ,

Excud. Joh. Kiämpe R. Ac Typ.

*Adm. Reverendis atq; Praclarissimis
Dominis,*

Mag. INGELLO HELSTADIO,
S. Theol. Lectori in Gymnasio Streng.
laudatissimo. Past. ac Præp. in
Sillô adcuratissimo.

Mag. JOHANNI ROOT,
S. Theol. Lect. in Gymnasio Streng.
laudatissimo, P. & P. in Aspô
meritissimo.

Mag. ERICO LIDIO,
In Collegio Streng. Matheseos Le-
ctori perlaudabili.

Mag. JOHANNI MOZELIO,
In Collegio Str. Hist. & Phil. Moral.
Lectori dignissimo.

Plur. Rev. atque Clarissimo,
Dno DANIELI STENIO,
Pastori in Qvisbro laudatissimo, &
Nutritio antea benignissimo.

Patronis & Promotoribus certissimis.

Athereus clara lustrat qui lampade Phœbus
Omnia, grante decus cernit in orbe stu-
pens.

Cernit in orbe stupetque hominem tot dotibus
amplis

Corporis & mentis quasi referre Deum,
Utraque pars illic peragit sua vni dextre;
Nunc operam jungit, nunc quoq; spernit eam.
At quando assidue florent commercia vite,
Utraque Sermōnis quam simul urget opus?
Fulcimen nostræ Sermo est prænobile vite,
Quem feret hæc breuib; stridula charta no-
tis,

Hæc & Mæcenates, vobis, deberur, & illa
Quam bene fovistis reg; manuque, salus.
Vos lacera fueratis enim tuta anchora cymba,
Fluctibus in sævis dum peritura fuit.
Vos & adhuc dubiam placidi servatis eandem;
Vos votis fidus portus & aura meis.

Adm. Rev. atq; Præclariss. Nominum
Vestrorum,

Cultor indefessus
E. P. Ljung.

Bröderna /
Erono-Befalningsmannen öfwer Leke-
bergslagen / Högachtad
Herr JONAS BECKMAN,
Och Länsmannen ther sammastädes /
Wälachtad
Herr LARS BECKMAN,

Swad som thet ädla Talet är ;
Hur nödigt man thet finner ;
Hwad nytta stor thet med sig bär ;
Hwad plicht thet of påminner :
Med mera, som til saken hör,
Jag kort på thesa blad omrör.

Then gunst I, Bröder, mig ha'n tedt
Kan ett med orden nämnas ;
Men skal doch ett b.i hördt ell' sedt,
Ut then i glömsko lämnas :
En pappers skänck til prof thet af
Jag gifwer, och är til min graf

Hög-och Wälachtade Herrarnas,
Mina Högstärade Bröders

Hörsamste tjänare
E. P. L.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE PENA MORTE

Authore
Johanne Baptisto ...

IN HONORE ...

...
...
...

ERGO ...

Ad ...
...

...

...

CONSPECTUS.

- §. I. In mente humana varias inveniri vires & operationes dicit.
- §. II. Varia attingit signa naturalia in corpore, que diversas animi affectiones indicant.
- §. III. Horum insufficientiam ad plene communicandum cogitationes cum aliis probat.
- §. IV. Quare ad hoc opus esse instrumento articulate vocis, adfirmat.
- §. V. Sermomis Definitionem, ejusdemque explicationem adhibet.
- §. VI. Sermomis originem ex principiis naturalibus tradit.
- §. VII. Quid Scriptura doceat circa Sermomem primorum hominum inquirat.
- §. VIII. Que fuerit Lingua prima indagat.
- §. IX. Confusionem Babylonicam considerat.
- §. X. Naturali præterea cõsecutione linguarum varietatem existitur. ut fuisse ostendit.

- §. XI. Puritatem Sermonis describit.
- §. XII. Perspicuitatem delineat.
- §. XIII. Ornatum adumbrat.
- §. XIV. Comparationem inter sermonem & artificium scribendi instituit.
- §. XV. Sermonis necessitatem in societate humana adstruit.
- §. XVI. Cuius linguae vermacule quomodo promovendus sit, proponit.
- §. XVII. Sermonem exigit ad principia J. st.
- §. XVIII. Eundem spectat secundum principia H.onesti.
- §. XIX. Idem persequitur ex principis Decoris.
- §. XX. Quid de lingua universali tenendum sit, disquirat.



§. I.

INter omnes res creatas vix alia invenitur, quæ plures habet vires & operationes, quam quas in mente humana apprehendere licet. Hæc simplices notiones format, ac formatas componit, veritatem unam ex altera proluxa conclusionum serie derivat, pluresque justo ordine disponit. Hæc modo ab universalibus incipiens ad particularia descendit, modo initio a particularibus factis generalia inde extruit conlectaria. Hæc res abstractas pariter ac spirituales puris contemplatur i-

deis, materiales vero sensuum
 & imaginationis ope percipit
 examinatque. Hæc ad mundum
 adspectabilem conversa, artificio-
 sissimam ejus structuram, causa-
 rumque in illo & effectuum sub-
 ordinationem admiratur. Hæc
 ad ipsum universi Architectum
 hac operum scala assurgit, Po-
 tentiam illius & Sapientiam sub-
 missè veneratura. Hæc homi-
 num ingenia, fines, actiones, &
 multiplices in illis consecutionum
 nexus investigat. Hæc artes pu-
 blicè privatimque utiles excogi-
 tat. Hæc denique scientiarum
 artiumque origines, incremen-
 ta, successiones, migrationes,
 ac mutationes explorat. Quid
 multis?

*Ille quid in cælo rerum pelagoque ge-
 ratur.*

*Es, tellure videt, totumque inquit in-
 erbam.*

Cogitationibus animi aperien-
 dis signa quaedam natura-
 lia inserviunt. Videmus infan-
 tes, & mutos præcipue, per or-
 ganorum corporis, & præsertim
 digitorum & manuum incurvati-
 onem, complicationem & por-
 rectionem diversam, quid sibi ne-
 cessarium vel utile duxerint, in-
 dicare. Nec ipsis modo tribu-
 endum est hoc, cum & quilibet
 nostrum ejusmodi signis multo-
 ties utatur, quæ perpetuam
 cum mentis affectionibus con-
 venientiam habent. Quem-
 admodum enim fumus indicat
 ignem, sic risus & hilaris vultus
 testantur lætitiã. Contra, ge-
 mitus & suspiria, frons severa
 & manantes lacrimæ, dolorem
 intus latentem commostrant.
 Capitis insolita quassatio, cum
 truci aspectu & rugis in facie,
 A 2 indi-

indignationem manifestant; quibus si accedant manuum contorsiones & vehementes vociferationes, iram & odium præsentissimum haut dubie loquuntur. Ex nutu capitis sæpe affirmationem inferimus aut negationem; unde apud Romanos verba *annuere* & *renuere*. Moris etiam est vel sola manu, vel capite simul, imperare silentium, & alios advocare, aut discedere jubere. Ad rem lætam lolemus plaudere. Nos assentiri & a partibus aliorum stare, variis quoque indiciis possumus aperire; quo etiam referenda est phrasis illa, a moribus Rom. petita, *in sententiam alicujus ire*. Plura ejusmodi signa naturalia non operæ pretium est adferre, cum experientia quotidiana talia copiose subministret.

§. III.

HÆc & innumera id genus τὴν
ἀνί-

mensa, sunt quidem vehicula
 communicandi cum aliis cogi-
 tationes nostras, & media ad
 mutua promovendum commoda
 minime spernenda; at ea peni-
 tius introsipientes maxima vi-
 demus laborare difficultate ac
 insufficientia, si non alia men-
 tem explicandi ratio superesset.
 Etenim, quod spectat artem pan-
 tonimicam, & oculorum aciem
 hebetaret illa, & membra cor-
 poris defatigaret, & haut exigua
 crearet molestiam. Neque
 hæc & alia signa externa, quo-
 cunque demum nomine veniant,
 vel aliquatenus, ne dicam exa-
 cte, omnibus responderent co-
 gitationibus. Nam ut hæc per-
 enni variant serie; sic infinitam
 requirerent signorum multitudi-
 nem, quam invenire nec ratio
 posset, nec inventam memoria
 retinere. Quo caractere repræ-
 sen-

sentirentur mentis potentia & inclinationes tantum non infinita? quo colore spiritus & res abstractae depingerentur? Breviter; quomodo hanc viam ingressi in variis scientiis, & artibus liberalibus, bene feliciterque possemus proficere, & aliis, quae sentimus, exponere, percipere nequaquam valemus.

§. IV.

Ere igitur est, ut homo intra hanc molestam, mutilam, ac saepe dubiam incertamque cogitationes suas exponendi rationem non subsistat. Tantum abest, ut viam ulterius progrediendi univarsi Auctor praeculuseferit, ut potius eam in ipsa aperuerit natura. Corpus humanum non frustra illis donatum est instrumentis atque organis, quibus voces articulatae, diri-

dirigente ratione, facile forman-
 tur. Cum vero natura tantum
 præstiterit, quantum ab ea desi-
 deres unquam; injurius omni-
 no esses in **H**lius Auctorem, si
 oblato uti nolles beneficio; in-
 jurius in Te Ipsum, qui, quæ ti-
 bi sunt vires, experiri negliges-
 res; injurius quoque in alios,
 cum quibus plenum cogitatio-
 num commercium instituere non
 posses. Scilicet, quod homo per ser-
 monem internum a reliquis di-
 stingvatur animantibus, non ullo
 manifestiori quam sermonis ex-
 terni exsplendescit indicio. Illa
 inconditos tantum & confusos
 edant sonos; homo autem, per
 voces articulatas, perfectiones
 mentis interpretatur dexterrime.
 Dignum itaque est Philosophica
 dilquisitione argumentum, quod
 si non exhausserit proposita bre-
 vitas, ingenii juxta ac fortuna-

narum tenuitate inuncta, Tuam B. L. veniam qua par est expetimus reverentia.

§. V.

Cura omnis, quæ de re aliqua suscipitur, tractatio, a definitione debet proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur; Sermonem Externum definimus per *vocem articulatam*, cogitationes mentis, quantum fieri potest, aliis exprimentem, ut gloria Dei & *mutua inter homines commoda promoveantur*. Uberioris illustrationis ergo sequentes tantum addimus observationes; 1. Quod dicitur *vox*, in eo convenientia indigitatur cum simplici sono, qui a brutis editur, & est motus in aëre excitatus ac propagatus, quo organa auditus efficiuntur. 2. Differt in eo, quod, sit *vox articulata*, beneficio

9
cio linguæ & labiorum, ac subsidio dentium & gingivæ &c. formata. Et quum aliquod articulatae vocis imitamen etiam in reliquis animantibus inveniat. 3. *Indicatio conceptus in mente*, ut homini propria, sermonem hujus a quocunque illorum sono distingvit. 4. Verba hæc: *quantum fieri potest*, addidimus, ne quis crederet nos affirmare, omnes cogitationes sermone exprimi posse. Quicunque interiores animi recessus diligentius fuerint rimati, facile advertunt, se multarum rerum notiones satis claras atque evidentes habere, quas verbis haut ita queunt explicare; quamvis sæpe in id magna incumbant contentione. Huc pertinent multæ idæ simplices, huc sensationes, huc varii affectus, huc vivacissima cogitationum celeritas & fœcunda propagatio
alia-

aliaque; ad quorum sublimitatem explicandam nobis desunt verba, & deerunt quoque, licet sermo in immensum augetur.

§. VI.

QUOD homo ab Hebræis vocatur חַי מַדְבַּר, & a Græcis ζῷον λογικόν, non ita accipiendum est, quasi sermo ipsi connasceretur; sed quod industriae ejus relictum eundem addiscere. Inter res ipsas & verba, illas denotantia, nullus datur nexus naturalis; quod vel inde probatur, quia una eademque vox diversissimas sæpe habet significationes. Si sermo hoc modo esset naturalis, idem foret in toto genere humano, quemadmodum ipsa facultas loquendi est eadem. Sermonem esse ex mutua hominum conventionem ipsa experi-

perientia docet. Quamprimum ratio apud infantes se actu secundo exerere incipit, incipiunt & ipsi paulatim reflectere super cogitationes suas: parentum aliorumque, qui sibi adsunt, dicta exaudire; quæque inter voces & res, vocibus designatas, fit relatio, ex usu & quotidiana attentione percipere, & memoriæ infigere. Deinde pari modo fatagunt & ipsi verba quædam formare, & animi sui sensa aliis aperire; ad quod eos naturalis imitandi & discendi cupido allicit invitaturque, ipsa vero necessitas cogit atque impellit. Quapropter mirum non est, nos in ea ætate, cujus vix possumus recordari, linguam nobis vernaculam didicisse; & quidem ante, quam alias artes attigimus.

Juris naturalis scriptores, ad-
ambatruri hominis conditionem

natu-

naturalem, fingunt eum in solitudine a prima derelictum infantia, omni aliorum institutione, conversatione & auxilio destitutum, modo tamen miraculoso ad adultam provecum ætatem, infelicissimum existere, ob multas, quas enumerant, miserias; in queis haut minima, quod foret *elinguis*. Quod heic supponitur factum, ut veritas eo facilius intelligatur, & nudis quasi palpetur manibus, alii re vera perhibentur explorasse, qui infantes, extra hominum commercia curarunt educandos, eosque, post annorum aliquot decursum, omnis omnino sermonis invenerunt expertes. A sermone interno non statim licet, cum Beyero, ad externum argumentari. Si infans in solitudine, ut nuper dictum est, expositus adolesceret, certe, nec alicubi terrarum usitata
tam

tam, nec suapte natura & ingenio fabricatam, profiteretur linguam. Verum si plures illi essent ejusdem conditionis socii, dispar omnino foret ratio. Tum enim mutuam jungentes operam, a signis ad verba & denominationes facile procederent, & sibi propriam excogitarent loquelam. Idem fere de illis esto judicium, qui surdi sunt nati, lingua non laborant, & feliciori gaudent ingenio. Hi, ut in hominum vivunt consortio, ex motione labiorum in aliis deprehensa, & plurimis ejusmodi indiciis, haut difficulter possunt colligere, quid sibi desit; atque sic paulatim formare sibi nonnulla, eorum præcipue, quæ ad vitæ sustentationem faciunt, signa articulata. Hinc igitur concludimus, potentiam loquendi esse homini naturalem, sermonem vero ab usu

& exercitatione originum habere.

§. VII.

QUOD quidam statuerunt Protoplastos primum fuisse mutos, ex Scripturæ Sacræ ignorantia, & rationis, ab experientia deductæ, erronea applicatione existimamus præmanasse. Cognoverunt enim, naturaliter procedendo, linguam ex usu & institutione totam dependere, ac pro re nata in dies augeri atq; perfici; verum hoc si de primo statuamus homine, tota erramus via. Status enim, in quo creatus erat, perfectio, adeo crassas refellit opiniones. Nonne bonitati Dei repugnasset, homini, perfecta sapientia & iustitia condito, ad tempus denegasse loquelam, qua & ipsum digne celebraret, & commode lo-

ci-

cietatem coleret? Frustra vero
 sunt, qui ex *ὄρουα* *ἄεσις* petunt ar-
 gumentum, omnem inventionis
 gloriam in ipsum transferendo
 Adamum. Si vel ipse fuerit pri-
 mus animalium *ὄρουα* *ἄεσις*, quod
 tamen tuto non audemus affir-
 mare; num eorum nomina in-
 tegram conficerent linguam?
 Fuerunt & alia fere infinita, qui-
 bus singulis sua nomina eum im-
 posuisse, nullum in Scripturis ap-
 paret vestigium. Quin immo i-
 bidem legitur, Deum prius allo-
 quio suo dignatum fuisse homi-
 nem, quam animalia ad ipsum
 adduxerit. Annon hoc fuisset
 furdo narrare fabulam, si vim
 vocum non percepisset? Est i-
 gitur eritque immotum, quod
 Deus homini recens creato, pe-
 culiarem indiderit linguam. Un-
 de etiam a nonnullis dicitur na-
 turalis; & hoc quidem recte, si

to naturale sumatur pro ejusmodi tantum dono, quod, simul ac creatus erat, immediate concedebatur.

§. VIII.

Lingvam, ipsi Adamo concessam, omnium esse primam & antiquissimam, extra omnem dubitationis aleam positum est. Ignorat Scriptura Præ-Adamitas, quos Peyrerius sibi finxit licentius. Cuinam autem lingvæ primatus ille sit adscribendus, non una est inter Eruditos sententia; cum alii hanc, alii illam, immo etiam, ex nimio in patriam amore, quidam vernaculam suam in thronum studuerint evehere. Non tamen defuerunt viri doctrina clarissimi, qui, seposito omni præjudicio & partium studio, rem ipsam penitus inspexerunt, & rationibus

bus

bus minime contemnendis probarunt, quod lingua Hebræa merito saluetur prima. Ut nemo præter Moſen ipſa mundi generiſque humani incunabula veritate hiſtorica deſcripſit; ſic unus hanc dijudicabit controverſiam. Eſt argumentum, ex *ετυμολογία* nominum deductum, tantæ evidentiæ, ut primo in loco abſque injuria collocetur. Nam ſi propria eorum nomina, qui in Paradifo vixerunt, quiq; ab illis poſtea ſunt nati, qua originem ſunt Hebræa; utique valet conclusio a partibus ad totum, h. e. linguam ipſam. Videamus igitur, quænam illa ſint nomina, & quam exactè illis reſpondeat denominationis ratio. Nomen *Adami* indicat eum *אדמ* formatum, &, uti videtur, ex *terra rubra*; *אדמה* enim eſt *rubuit*. Conjux ejus di-

Etā est *Heva*, a חַיָּה *vixit*, cum
 illa fieret אֵלֶּיךָ כָּל הַיּוֹם; & alio
 nomine אֵשֶׁת קַיִן, quia אֵשֶׁת קַיִן.
Cain, primogenitus eorum filius,
 a קָנָה *acquisivit*; cum *Heva*,
 non spe veri *πρωτόγενος*, sed de
 tempore & persona, errans di-
 ceret: אֵשֶׁת אֵת קַיִן.
 Jam se in *Caino* delusam videns
 mater, alterum filium vocavit
Hevel, quod Hebræis significat
vanitatem. Hunc cum occidisset
Cain, & illa tertium peperisset,
 vocavit illum *Setb*, a שָׂת *po-*
suit, dicens: כִּי שָׂתָּ לִי אֱלֹהִים
 זֶרַע אַחֵר תַּחַת הַבֵּל כִּי הִרְגוּ קַיִן
Noach descendit a נִיחָ *requievit*;
 putavit quippe pater ejus se susce-
 pisse Messiam, ideoque dixit:
 זֶה יְנַחֵמנוּ אַחֵר. *Peleg* dictus
 est a פָּלַג *divisit*, quia בְּיַמֵּי
 פֶּלֶג נִפְלְגָה הָאָרֶץ (a). Plurima ejus-
 modi exempla in promptu esset ad-

(a) 1. Paral I: 19.

adducere, nisi hæc, quod volumus, confirmarent abunde, scilicet, linguam Hebræam fuisse primævam, & in statibus integro pariter ac corrupto usitatam. Si Adamus hanc non calluisset, quomodo uxori suæ Hebræa dedisset nomina? Si nec illa, quomodo filiis suis? Quid? an nomina ista ab alio in Hebræum idioma sunt translata? Sic falleret nos scriptura, venditando ea pro genuinis & propriis, quæ tamen non fuerunt; quod impium foret cogitare. Tacemus *ἔτυμολογίας* Deorum Gentilium, & populorum quorundam antiquissimorum, ex hoc procul dubio petitam fonte. Tacemus quoque alia, quæ ex historia Philosophica depromi queunt argumenta. Sufficiat pariter verbo indicasse, linguam Hebræam, qua perfectionem, simplicitatem

tem & jucunditatem omnino esse dignam, quæ Deum habeat auctorem. Et quo perfectior, simplicior & jucundior est, eo propius ad statum accedit perfectum.

§. IX.

ATque hæc lingua ad Confusionem, quæ Babylonica audit, mansit universalis; quia ante illam כל הארץ שפה אחת ודברים אחדים (a). De qua varias variorum adferre sententias, ratio instituti non admittit. Duas tantum nominabimus, quæ ipsam rei ἀνερίπολιω videntur tangere. Altera est eorum, qui contendunt linguas plane novas (de numero inter eos non convenit) exortas fuisse, adducentes pro se hæc verba: לֹשֶׁן לֵשׁוֹן וְשָׁמַע אִישׁ אֶל־אָחִיו (b), ubi verbum שָׁמַע per *incolligere* expono.

(a) Gen. XI. 1. (b) v, 7.

ponunt. *Altera* vero est eorum, qui dicunt omnes familias, etiam post confusionem hanc, Hebræam ad tempus retinuisse linguam; at tunc divinitus turbatos, ut alter alterum non intellexerit loquentem, partim ob insolitos pronunciandi modos; partim ob literarum radicalium & punctorum transpositionem, inversionem, additionem, detractionem; partim ob nova quædam vocabula, novis novæ structuræ rebus imposita, quorum ignorassent significationem.

Prior harum minus placet Eruditis, cum ex eorum sententia hoc modo beneficium verius, quam pœna fuisset confusio; siquidem multæ lingvæ tum existissent divinæ. Nec dixit Deus, *infundamus illis linguas*, sed (בללה ופנת) *confundamus linguam earum*. Vox בלה significat *confundere*.

dere, seu commifere res diverfæ
 fpeciei, ut farinam & oleum (a),
 ftramen cum avena vel fæno (b).
 Quod autem vèrbum שמע attin-
 et, aliquando intelligendi signifi-
 catum obtinet; ut cum dicitur
 de filius Jacobi; לֹא יָדַע בִּי שְׁמַע
 יוֹסֵף בִּי הַמֵּוֹרֶת בְּיַנְהָרָה (c). Ali-
 quando etiam obediendi & aufcul-
 tandi; ut, cum Rabfakè, a rege
 Affyriorum miffus Hierofolymã
 debellatum, Judæorum hortatur
 (d) exercitum: שְׁמַעוּ אֶת־דְּבָרַי
 חֲמַלְךָ הַגָּדוֹל מִלֶּךְ אֲשׁוּר
 אֶת־שְׁמֵעוּ אֶל־הוֹקִיָּוֹתָיו
 Et hanc vocis fignificationem in
 allato Genefeos loco admittunt
 illi, quibus probabile videtur,
 Deum de cœlis descendantem,
 ur-

- (a) Exod. XXIX. 40. Lev. II. 4. VII.
 19. (b) Fid. XIX. 21. (c) Gen. XLII.
 23. (d) Ef. XXXVI. 13. 16. Conf.
 Pf. LXXXI. 9, 12, 14. Pf. CVI. 25.
 Ecclef. IX. 16.

urbem & turrim condendas visum, conditoribus nefarium suum conatum ante oculos posuisse, & terrorem ipsis incussisse, ut alter alteri non obtemperarit.

Posterior sententia majorem consecuta est applausum, cum vestigia quædam in Scripturis inveniuntur, unde conjici potest, longo satis tempore post confusione homines lingua Hebræa fuisse usos; E. G. Abrahamus, decima post diluvium generatione natus, & ex Ur Chaldæorum profectus, cum Pharaone & ceteris Ægyptiis (a), cum incolis terræ Canaan (b), sine interprete est locutus. Rachel & Lea, in Mesopotamia natæ, liberis suis Hebræa (c) imponunt nomina. Jacobus cum pastoribus Mesopotamiis, immo cum ipso Pharaone-

(a) Gen. XII. 18, 19. (b) c. XIV. 20, 21.

(c) c. XXIX. & XXX.

ratione sermonem (d) habuit.

Hinc concludunt, structo-
es etiam sub ipsa confusione
Hebraice locutos; cum lingvæ
alicujus vernaculæ oblivio non
videatur fieri posse in momento.
A tempore tamen dispersionis
lingvam hanc pedetentim in va-
rias abiisse dialectos, eas in varias
lingvas, has iterum in alias, & sic
deinceps; adeo ut nunc temporis
paucissima tantum, lingvæ Hebræ-
æ in antiquioribus reperiantur ru-
dera. Sed de iis, quæ *modum* con-
fusionis concernunt, aliquid
certi concludere, est valde incer-
tum, cum divinus omnino fue-
rit & miraculosus. Hoc factum
esse scimus, at quomodo, ta-
cente historia sacra, nescimus.

§. X.

SI nostram, quæ & aliorum
est, de *caussa diversitatis Lin-*

gua-

(d) c. XXIX. 4, 8.

guarim, exponamus sententiam, existimamus ad solam Babyloniam hic non recurrendum esse Confusionem, quasi unica adhuc vigeret lingua, si illa non exstitisset. Quemadmodum nihil in reb⁹ finitis ab omni mutatione datur immune; ita nec a communi hac vicissitudinis lege sermo est exemptus. Ea sunt homines indole, ut quæ olim placuerant, mox vilescere incipiant, tandemque rejiciantur, aliis in eorum locum subiectis, quibus simile fatum tempus minatur. Qui populi inde a longissimo retro tempore uno in loco hæserunt, nec cum aliis unquam fuerunt commixti, eorum etiam sermonem tempore mutatum fuisse reperimus. Hujus rei evidens exemplum vernacula nostra suppeditat. Ubi enim, quæ jam est in usu, confertur cum

cum illa, quam *Lapides Runicæ*, antiquissimæ *Historiæ Sægor* dictæ, vetustæ leges, & alia id genus monumenta exhibent, non una sed diversæ omnino videbuntur. Quo tempore infaustum illud *Svecorum* cum *Danis* fœdus duravit, nostri dialecto eorum subinde imbuebantur, ut acta publica tum edita ostendunt; sed jam cum imperio *Danico* hic pridem exterminatus est idiotismus. Multa quidem vocabula *Gallica* etiam hic sunt recepta; verum si vel illa abessent, hodierna lingua a veteri longissime distaret. Ubi autem duo vel plures populi in unum confunduntur, quod impotens præcipuè *Mars* efficere solet, tum novæ etiam lingvæ existunt. Hoc modo plures *Europææ* sunt enata, ut *Gallica*, *Italica*, *Anglicana*, aliæque. Manifestum itaque evadit, diversitatem *Lingvarum*

rum non ex sola Confusione illa Babylonica, sed ex aliis juxta fontibus esse derivandam.

§. XI.

His positis, quomodo *Puritas* Lingvarum consistere possit, ulterius est dispiciendum. Hæc communiter in sequentibus constituitur: 1. In verbis, non peregrinis, sed domesticis, usitatisque. 2. In eorum constructione non tam ex legibus Grammaticis, quam loquentium vel scribentium usu aestimanda. 3. In idiotismo, nativum sermonis genium vel ore vel callam exprimente; adeoque per totam orationem diffuso. Quod si omnia, quæ in linguam aliquam aliunde accesserunt, puritati ejus officerent, nulla amplius pura superesset. Ex idiomate Hebræo nonnulla in Græcicum sunt transfusa; ex hoc in Latinum plurima. Quædam Europæarum

Lin-

Linguarum variis quasi ex laciniis sunt confutæ. Ipsa vero natura sermonis in hoc versatur, quod sit cogitationum nostrarum interpres. Usum esse magistrum loquendi, notorium quoque est. Neque quid purum sit vel non, ex origine verborum, sed ex recepto eorum valore judicandum. Quod olim insuetum fuerat & barbarum, id civitate donari ac domesticum fieri potest. Et quemadmodum lingvæ vivæ in continuo sunt fluxu; ita purum semper censendum, quod præsens comprobaverit usus. Non tamen pro vero usu venditari debet inepta eorum consuetudo, qui se parum elegantes æstimant, nisi farraginem verborum peregrinorum interant sermoni. Lingvæ mortuæ, ut a certis discendæ sunt scriptoribus, ita ad exemplar eorum oratio est com-
po-

ponenda; unde sequitur, quicquid cum illo convenerit, id pro puro heic esse habendum.

§. XII.

Postquam hæc locavimus fundamenta, non difficulter colligitur, in quo sermonis *Perspicuitas* sit quærenda. Quod enim ad puritatem orationi conciliandam facit, idem perspicuitatem parit. Hoc insuper accedere oportet: Antequam loqui aggredimur, cogitandus est ipse *ordo & methodus*, ne quid confuse & tumultuarie proferamus, animumque audientis turbemus. Deinde nimia evitanda est *brevitas*, qua sensus verborum aut misere corrumpitur, aut totus perditur; & nimia *prolixitas*, qua sæpe defatigantur auditores, ut, finito sermone, vix meminerint, quid dictum sit, vel non. Vide-
licet

licet, ut centrum æqualiter utrinque ab extremis distat circuli; ita cavendum est, ne quid nimis. Nam

*Est modus in rebus, sunt certi de-
nique fines,*

*Quos ultra citraque nequit con-
sistere rectum.*

Pari modo omnia abesse debet *ambiguitas*, siue illa in vocibus, siue constructionibus consistat. Si tuba incertum sonum ediderit, quis, quæso, intelligat, quid illa canatur? Sic vocabula homonymica non sunt adhibenda, nisi sermo in ea versetur materia, ut sensus eorundem per se planus sit; nunquam vero Amphibolica locutio, intentione fallendi excogitata, & in utramque sententiam æquè explicabilis.

§. XIII.

HÆc si observentur *veritas* per-

perfectus evadit sermo quoad primaria, quæ adesse debent, requisita. Sed ut vestitus facit virum, sic *Ornatus* sermonem, si satis placeat. Oratio, nullis vestita coloribus, & nuda humi repens, non eadem semper emphasi, qua savavis & venusta, gaudet. Nam in hac, quid natura & ars conjunctis valeant viribus, percipimus, admiramur. Est amoenissimi instar horti, concinna verborum compositione florentis, in quo singulari cum judicio sata sunt omnia, quæ animum oblectare possunt. Hæc iusta vides in copia, & Troporum violas, & hyacintos Figurarum, & lumina Sententiarum, odorem savavitatis exhalare temperatum. Verum hæc orationis insignia, nimis frequenter & concatenata veluti serie admissa, virtutum nomine superbiunt falso.

Quem.

Quemadmodum vestitus in se aliquin honestus, variis diversorum colorum panniculis adsutis, redderetur deformis; ita & oratio, ex usu talium flosculorum intempestivo, tota evadit monstrosa.

§. XIV.

UT omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur, fatente Cicerone; sic amice conspirant, & mutuam sibi jungunt operam, Sermo & artificium Scribendi. Finis utriusque communis est, nimirum cogitationum cum aliis communicatio, Utrumque, & puritatem, & perspicuitatem, & ornatum admittit. In his autem differunt: I. *Sermo* fit voce articulata; *Scriptura* characteribus literarum perfici-

ficitur. II. *Illum* natura magis
 provocat; *hec* artis est filia. III.
Illo omnes fere utuntur; *hec*
 quidam duntaxat se expediunt.
 IV. *Ille* facilius est, & breviori tem-
 pore absolvitur; *hec* operosior
 & moræ exigentior. V. *Ille* ad
 præsentis dirigitur; *hec* instruit
 absentes. VI. *Ille* in auras cito
 evanescit; *hec* ad seram sæpe de-
 scendit posteritatem. Immo hæc
 est præcipua Scripturæ præroga-
 tiva, quod cogitata hominum
 ad remotissima etiam loca & plu-
 res quoque ætates transmittat.
 VII. *Hæc* intrinseco tantum valet
 pretio, quod suæ sibi virtutis
 conciliant; *ille* pronunciatione
 insuper & actione animatur.

§. XV.

I Abor forte supervacaneus vi-
 deretur, usum sermonis
 multiplicem in vita humana pro-
 bare

bare: cum nemo tam crassæ
 fuerit absurditatis, ut manifestam
 contra experientiam illum in du-
 bium vocarit: Verum quoniam
 non defuerunt viri cordati, qui
 in hoc naturæ munere expres-
 sum Divinæ sapientiæ vestigium
 invenerint; nonnulla huc spe-
 ctantia adferre ab instituto
 non æstimatur alienum. Quor-
 sum tenderet facultas loquendi
 soli homini concessa, nisi ad so-
 cietatem cum aliis ineundam co-
 lendamque svaviter invitaret?
 Recte igitur ex articulatae vo-
 cis privilegio hominem natura
 esse socialem veteres collegerunt
 Philosophi. Quis autem omnia
 enumerabit commoda, quæ ex
 usu sermonis in sortem huma-
 nam proveniunt? Hoc plerumq;
 internuncio prima inter Virum
 & feminam amicitiaæ stamina
 nectuntur; unde existunt con-
 nubia

nubia, generis humani semina-
 ria. Hoc interprete, sensu hone-
 sti imbuatur proles, & pro in-
 cremento ætatis exercitio virtu-
 tis advelcit. Hoc adminiculo
 Dominus mercedem servo, hic
 illi officia stipulatur. Hoc in-
 strumento varia officiorum ge-
 nera in familia dispensantur, &
 sua cuilibet committuntur nego-
 tia. Nonne conventiones quæ-
 cunque, contractus & commer-
 cia hoc ut plurimum utuntur
 proxeneta? Quod si ad prima
 civitatum incunabula animo re-
 spiciamus, nec illa ministerio
 sermonis caruisse patebit. Quis
 crederet homines in majores il-
 las societates antea coisse, quam
 & commoda, quæ inde exspe-
 ctarunt, se invicem docuissent,
 & modum regiminis inducen-
 dum consilio præcepissent, &
 suum denique consensum ipso

roborassent eloquio. Plurima,
 quibus populorum salus conti-
 netur, negotia, tanti sunt pon-
 deris, ut illis recte sustinendis u-
 nius hominis vel sagacissimi non
 sufficiat ingenium; quare ami-
 cum inter plures consiliorum
 commercium, quæ suo quisque
 deliberantium animo agitaverit,
 in medium proferet librabitque.
 Nec leges ad intelligentiam o-
 mnium deveniunt, nisi publica
 præconis voce promulgentur.
 Quid recte vel secus factum sit,
 optimè cognoscit iudex, ubi par-
 tes inter se disceptantes audive-
 rit ipse. Sermonem Reipublicæ
 Literariæ necessarium esse, pari
 evidentia constat. Prima scien-
 tiarum elementa sine viva docen-
 tis voce, raro percipiuntur. Pro-
 fectus etiam in illis superiores
 institutione aliorum & consilio
 procurantur feliciter.

27
v. plerumque abripiuntur in de-
via, pauciores maturæ eruditi-
onis gloriam consequuntur. Quod
si quis singulari quadam ingenii
vi sine alio duce scripta docto-
rum hominum intelligere, & so-
lidam inde scientiam parare va-
luerit, id miraculi instar habetur;
nec id obtinet absque multo am-
phractu, ad quod faciliori alio-
quin via contendere potuisset.

§. XVI.

PRout sua cuique vernacula
quam maxime est necessa-
ria; ita hanc præ ceteris esse ex-
colendam, indubium æstima-
mus. Id autem quomodo insti-
tuendum sit, quantum nobis per-
spicere licuit, breviter aperie-
mus. I. omnia verba peregri-
na, quæ longo usu nondum jus
civitatis acceperunt, rejiciantur,
indigenis tantum retentis; quod
in-

inter scribendum rigide prorsus
 observare conducit. II. Vocabu-
 la artium & scientiarum sermo-
 ne patrio expromenda sunt; ubi
 vel simplicia Metaphorica appli-
 catione adhiberi, vel nova, fa-
 cta ex simplicibus, quæ antea in
 usu fuerant, compositione pos-
 sunt effingi; unde ipsa lingvarum
 perfectio existit. III. De certa
 & fixa Orthographiæ ratione
 conveniet. Id vero tum demum
 sperandum est, ubi, qui in su-
 premis alicujus regni Collegiis
 publica scripta consignant, u-
 num perpetuumque servaverint
 senorem, ad quem ceu exem-
 plar quoddam se alii component.
 IV. Quum filius Curiae maxima
 polleat auctoritate, ejusque ge-
 nius in fœtus ingeniorum pri-
 vatos se facile transfundat; opti-
 mè veneraculiæ consulitur, si for-
 mula illius & universa structu-
 ra

ra nativam lingvæ indolem quã proxime expresserint. V. Cardo rei in hoc potissimum vertitur, quod Scientiæ variæ & artes patrio idiomate describantur, lucemque adspiciant publicam; qua præcipue via omnes, quæ & olim & nostra ætate claruerunt lingvæ, ad illum dignitatis apicem exsurrexerunt. Laudabile admodum fuit institutum Gallorum & Italorum, qui, ad cultum lingvarum suarum promovendum, integra condiderunt Collegia.

§. XVII.

CUM ex superius allatis pateat, sermonem tantæ esse necessitatis; quilibet ad illum non minus, quam ad colendum societatem adstringitur. Quæ autem & qualis hæc sit obligatio, tum optime intelligitur, ubi ad princi-

principia *Iusti, Honesti, & Decori*
 examinatur. *Iustum* dicitur il-
 lud Legis Naturalis præceptum,
 quod illa iungit officia, quæ
 cum conservatione generis hu-
 mani nexum quendam necessa-
 rium habent, ut eorum violatio
 vel bello vel pæna civili recte
 coerceatur *Iusti* itaq; regulæ hoc
 postulant, ut verba in usitata ac
 recepta significatione adhibea-
 mus; & quotiescunque salus alio-
 rum & utilis id exigat, sine
 ulla cavillatione & fraude animi
 sententiam aperiamus. Prout in-
 tegra fama inter primaria homi-
 nis bona iure meritoque cense-
 tur; ita criminationes aliorum
 apertæ, & secreti quoque susur-
 ri, unde illa aliquid capere pot-
 est detrimenti, maximè sunt fu-
 giendi. In contractibus quibus-
 cunque vitia rerum non minus
 quam virtutes indicare oportet,

ne lucram ab aliorum incommodo capiamus. Contra, si per sermonem violentur præcepta illa. ad tacendum obligati sumus; interdum etiam ad aliud significandum tenemur, quando jus alterius eo ipso non læditur, verum in nos, hunc, illum, aliosve utilitas, qua alioquin carituri essemus, inde redundat. Mendacium enim non est, nisi intentione decipiendi damnumque aliis inferendi fiat. Id cum sæpe contingat, firmamentum sermوني per jusjurandum accedit; quod tamen juranti novam non imponit obligationem.

§. XVIII.

Honestum nuncupatur illud juris naturalis præceptum, quod homines ad exercitium mutui amoris & benevolentiae obligat, quibus & interna & sæpe

pe etiam externa eorum felicitas promovetur. Amor enim longius progreditur, quam præcepta iusti requirunt, immo eo usque, donec amori proprio repugnet, vel par utrinque incommodum sequeretur; ubi recte valet illud tritum: *Proximus quilibet sibi*. Ex hoc principio nobis incumbit, omnia aliis indicare, quæ illis novisse ullo modo conducit, & quæ salvo tertii jure possumus aperire. Hinc est, quod errantem comiter in viam revocemus. Nec aliorum nævos propalemus & extollamus, sed potius reticeamus & benigna extenuemus interpretatione. Arcana nobis commissa, quantum licet per regulas iusti, fido silentio condamus, satis gnari, non magnam rem sustineri posse ab illo, cui tacere difficile sit. Acerbitas verborum omnis &

& mordaces iocī procul faces-
 sant, quibus bilem audientibus
 movemus, & aliorum in nos
 provocamus dicacitatem. Nec
 aliud magis humanitati conveni-
 ens est quam ut, si re ipsa ad-
 flictis opitulari non valeamus,
 mala eorum ac tristitiam inde
 exortam verborum saltem solatio
 leniamus. Ut paucis dicam: O-
 mni tere tempore & loco, hanc
 honesti partem, quæ in sermo-
 ne versatur, exercendi dabitur
 occasio.

§. XIX.

D*ecorum* est consilium pru-
 dentiaē circa actiones indif-
 ferentes observandum, quod pro
 ratione status, temporis & loci
 multum variat. Definit illud
 Christ. Thomas hoc modo: Das
 Decorum, oder manierliche Leben/
 ist nichts anders / als eine gefüdis-
 che

ehe Nachahmung derer Menschen
 von unsern stande / die für die vor-
 nehmiesten und vortreflichsten gehalten
 werden in den thun und las-
 sen / so weder von den Gesetzen
 Gebotten noch verbothen ist (a).
 Nam inter alia, ad quæ homo ex
 natura inclinatur, est & hoc, quod
 existimationis suæ haut exiguam
 gerat curam. Cui rei intentus,
 non potest non cavere, ne, ob
 vitam externam minus cultam,
 quorundam risui exponatur. Quo
 melius hoc incommodum aver-
 tatur, fradet ipsa prudentia, ut
 quilibet, ad exemplum præstan-
 tissimorum in suo statu hominũ,
 mores & dicta exigat; ita ta-
 men, ne quid principiis justis &
 honestis (cum horum, utpote
 Legge præscriptorum, potior ha-
 benda sit ratio) adversum com-
 mit-

(a) In lib. sub tit. Grundlehren /
 Part. I. cap. XVI.

mittat. Hæc eo usque extendenda non sunt, ut contra naturam propriam aliorum mores effingere studeamus. Id vanitatem prædit, & ridiculum est. Ratione dirigi debet aliorum imitatio. Requiritur igitur principia Decori, ut quilibet, (præter concinnitatem & elegantiam actionum) observatis circumstantiis, ita loquatur, prout communis fert usus, & iudicium audientium amat. Sic alius est sermonis habitus *ratione regionis*, in qua quis vivit, ut & ipsa vivendi ratio, juxta *πολυτέλειαν* illud;

Si fueris Romæ, Romano vivito more;

Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Ratione loci, aliter loquendum est in Regum ac principum ædibus, in templis, scholis, urbe, agro. *Ratione personarum*, aliter habendus est sermo cum principi-

pius, superioribus, æqualibus, inferioribus, &c. *Ratione sui ipsius* alia sermonis indoles principem, doctum, artificem, &c. decet. Nec quisquam in colloquiis immisceat se iis rebus, quas ipse vel non intelligit, vel a suo vitæ genere sunt alienæ.

§. XX.

Multum in hoc sadarunt quidam, ut *Lingvam universalem* invenirent, qua universum genus humanum, & omnes in illo nationes, se invicem intelligere possent. Hi autem in duplici sunt differentia. Quidam modum excogitare laborarunt, quo homines diversarum *Lingvarum scribendorum tantum* cogitata inter se communicarent, sine facultate universaliter, ut ita dicam, loquendi. Horum artificium eo spectat, ut loco vocum, quibus

res earumque Idea designantur communiter, characteres quidam substituuntur, iisdemque addantur alii, pro exprimenda sensus diversitate, quam flexiones vocum alioquin pariunt. Sic una res, quæ in mille lingvis diversis mille etiam nomina haberet, ab omnibus, qui separatis hinc lingvis utuntur, uno eodemque caractere designari posset, qui eadem facilitate a singulis intelligeretur. Varii varios commendarunt characteres, ut Geometricos, Astronomicos Chymicos, aliosque, Chircherus vero & Becherus, qui præ ceteris hæc delectati sunt arte, numeros hic adhibendos esse tradiderunt. Hi enim, ut in infinitum augeri possunt, tot rebus ac sensibus indicandis optime sufficerent, id commodi numeros insuper sequeretur, quod eorum distinctio
 fit

sic in promptu, cum aliæ figuræ,
 saltem minores, ægrè discerni
 queant. Omnes, qui linguam hanc
 participarent, duplicem, monen-
 te Bechero, haberent indicem.
 Alter, vocibus Lingvæ notæ or-
 dinæ alphabeticæ dispositis, nu-
 meros illas denotantes annexe-
 ret. Idem quoque valorem fle-
 xionum suis numeris exprime-
 ret. Hoc indice uterentur, qui
 scripturi forent aliquid, homini-
 bus sermone a se distinctis intel-
 ligibile. Alter contineret nume-
 ros, naturali serie se excipientes,
 quibus voces, & flexiones illis
 designatæ, appositæ forent. Hic
 scripta ejusmodi characteristica
 lecturis interviret; ad quem re-
 currentes illico discerent, quid
 singuli numerorum significarent.
 Ubi de hisce consenserant homi-
 nes diversi idiomatis, de signis
 distina-

distinctionum in periodis, & aliis ejusmodi minutiis, inter illos facile conveniret.

Quid vero de hoc sentiendum est invento? Quantum quidem nobis percipere datum est, nihil absolute impossibile proponit. Nam ut homines de certa quadam significatione vocum se unire potuerunt, quam ab impositione pendere totam omnes largiuntur; sic non video, quid simpliciter obstet, quo minus id circa alios quoque characteres fieri possit. Multis nihilominus difficultatibus hoc negotium premitur, quas nec celare oportet.

I. De hisce characteribus difficulter plures consentirent nationes, cum communi inclinatione humana suum cuique pulcrum videretur. II. Ratio scribendi & legendi per talia signa admodum foret operosa, quæ pauci nec si-

ne magno labore memoria complecterentur. Indices autem, quos dixi, semper consulere, tædiosissimum esset, III. Multæ sunt flexiones in quibusdam lingvis, quæ in aliis ignorantur. Unde eveniret, ut alter signa flexionum nonnulla supervacanea adderet, alter prætermitteret necessaria. IV. Qui scriberet, characteres illos vocum ordine, suo idiomati conveniente, locaret; qui cum ab eo, quem legentis lingua postulare, longissime recederet, scriptum intelligere nequiret. V. Nominibus propriis significandis nulli characteres sufficerent, cum infinita eorum sit multitudo, & nova in dies effingantur. Dicitur pro his commune quoddam alphabetum recipi posse. Sed id proposito adversatur, cui soli characteres rerum & sensuum sine ullis aliis

lite-

literis probatur. Verum concedamus & hoc, remanet adhuc tamen difficultas. Multa sunt nomina propria, quæ diverso modo in lingvis diversis scribuntur & pronunciantur, quæ rudis sermonis, illi qui scripserat, vernaculi, ne divinando quidem adsequeretur. Quid? quod populi, regiones & urbes aliis apud alios nominibus insigniantur. Hæc & plura impedimenta in causa fuerunt, cur magnum illud artis Characteristicæ universalis conamen intra vota & expectationem adhuc subsisterit. Num ulterius aliquando promoveatur, tempus docebit. Ego certe non sum credulus illis.

Verum alii longius progressi, *sermonis universalis* revocandi periculum fecerunt. Helmontius anatomiam quandam lingvæ Hebrææ instituire in deliciis habuit.

buit, nescio quid arcani conce-
 tus cum labio humano in illa de-
 prehensens. Inde Hebræum i-
 dioma omnibus Adami filiis re-
 stitui posse ac debere concludit.
 Quæ hæc sit harmonia præstabi-
 lita fateor me non capere. Sed
 ut simus largi in Helmontium,
 detur & illa. An ideo omnes
 homines, oblivione vernaculi
 sermonis inducta, evaderent Rab-
 bini? Id vero ne Judæus quidem
 Apella crederet. Veneramur
 Christiani limpidissimos Israëlis
 fontes, ubi rerum pondera sin-
 gulari cum dictionis gravitate
 juxta ac puritate exponuntur;
 sed multæ sunt res & artes, qua-
 rum ibi ne mentio quidem oc-
 currit. Neque consultum foret, i-
 sta repetere a vespertilionibus
 Judæis, qui sine fœnore nihil a-
 liis concedere solent.

Besnerius Jesuita Gallus lin-
 gvam

gvam Latinam toti orbi oberu-
dere voluit, cum minor ejus
pars Romam olim agnoverit do-
minam. Sed si omnes & Ciceronis
flosculos & artes Jesuitarum in
unum converterit, nunquam per-
svadebit mundo, ut tantum lo-
quatur Latine. Rotundè nimis
Dahlgarnus promisit magisterium
lingvæ Philosophicæ, quo *homi-
nes diversissimorum idiomatum, spa-
tio dierum septimanarum, omnia æ-
nimi sensa non minus intelligibiliter,
sive scribendo, sive loquendo, mutuo
communicarent, quam lingvis propri-
is vernaculis.* Sed præter verba
nihil dedit, & ne illa quidem
Philosophica.

Qui vel mediocrem attribue-
rit attentionem, facile percipiet,
majores adhuc obvenire difficul-
tates circa Sermonem Univerla-
lem, cujusdemumcunque arti-
fici foret, quam quæ characteres

illos

illos generales circumveniunt.
 I. Amor in linguam patriam,
 cuilibet populo infusus, reclama-
 ret, ne consilium de illa exau-
 ditanda auribus exciperetur II.
 Maxima pars hominum maturi-
 ori ætate aliud præter patrium
 idioma plenè discere nequiret.
 III. Plurium vitæ ratio curiosam
 ejusmodi occupationem non ad-
 mitteret. IV. Quod si fingamus
 talem linguam recipi posse, se-
 cundum ante dicta brevi tamen
 tempore mutaretur. Plura con-
 gerere non vacat, ne cum um-
 bris pugnare videamur. Est hoc
 sermonis universalis inventum
 inter hominum otio abundantium
 somnia referendum.

Maneant itaque per hos ine-
 pte sedulos linguæ. Illis hic fi-
 dem colamus cum hominibus,
 & laudes dicamus Deo, donec
 in unam patriam collecti, uno
 ore

ore in æternum celeberrimus sum-
mum illum optimumque Monar-
cham, qui linguam & omnia no-
bis bona concessit; Cui sit laus &
gloria in secula non terminanda!

TANTUM.



Clarissimo Philosophiæ Candidato,
 Dno. ERICO SUMMI
 Quam Dissertationem gradualem
 de Sermone publico bonorum
 examini submitteret.

D um vetus an-	Ritque possis
te	Rostrata tueri
Docta sophorum	Alta Lycæi.
Scandere felix	Pramia spondet
Pulpita terras,	Iustus Apollo:
Lingua per amandæ:	Pieris ardet
Laudibus ornata	Laureaserta
Nobile cœptum,	Nectere fronti,
Et super astra	Queisq; Minerva
Te debet usque, &	Vel bona Pallas
Gratulabundam	Te coronabit;
De quoque reddit.	Sicque valebis.
Macte ut honore	

Amica mente & manu
 adposuit

And. Gilberg.

Ad Clarissimum Philosophiae

Canidatum

Dn. ERICUM RYUNG/

Dum eruditam de Sermonē edea-
ret Disputationem.

Ὅτι μόνῃ ἡ σοφία κλημάτων ἀθανάτων ἴ-
στω, ἔχωρε ὁμοίως ἡ ἄσφω. θεσπεσίως τοῖς
ἀπογόνις περιωρε ὁ ἰσχυροῦς. ἐν μὴ-
δεῖ γὰρ κρίματι τῶν ἑπιτῶν τοσούτη
ἔστιν ἀσφάλεια, ὅσαπερ ἐν τοῖς με-
τα τῆς ἀρετῆς καὶ σοφίας διαπραττομέ-
νοισι. Περὶ ταύτης ὁδὸς τῆς σοφίας ἡ ψη-
φολογία, διὰ πολλὰ ἰσχυρὰ ἀτυχή-
ματα. ἄλλοι μὲν γὰρ δεινότητι τῆς ἀί-
σχίας καταπίπτουσι. ἄλλοι δὲ, οἱ βαπ-
τηροῦρα, καὶ πᾶντων χρημάτων περισσεύ-
ουσα παρεδόθη ἀγωγή, τὴν πᾶσι ἀπο-
λεγεῖται, ἐπ' ἀσθενείας ἐπιθυμίας τα-
χέως μὲν τρέφονται, ὥστε παντὸς ἐπίσης
ἄξιον εἶναι τὴν ἐκ πρηνείας τοσούτων ἐμ-
ποδίων κρατῆρα. εἰς τὸ παρὸν δὲ, ἐνδο-
ξότατε κυ. Ryung περὶ σὲ ὡς διαλεγό-
μεθα, καὶ γὰρ σὺ ἐκ παίδων ὄρεσιν
θεῖα, δεινότητι τῆς δυστυχίας ἀφίσκω. διὰ
τῆς

ἦς δὲ φιλοπόλις, πάντων ἐμποδίων ἐ-
κράτῃσας. ἀλλ' ἔπρεπε μοι, πρῶ-
τερονταῖς ἀρεταῖς σε, ἐν τῷ Φωτὶ αὐτῶν ἀ-
πὸ γλῆσσοιο αἰτίας γὰρ ἢ ἀποδείξει, ἢ
σὴ εροῖ τῆς σοφίας σε ποιῆς, σαφῶς
ἐν πᾶσι γνωρίζει. Δια τῆτο ἐνδοξάτω ἐκ
σπλάγχνου συγχάρισαι τῆς σοφίας σε
ἡθῶν τε καὶ τῆς τῆ βίης ἀδιαφθαρσίας,
καὶ ὑπνεγμέων τῶν πόνων ἀκαδημικῶν.
εὐχομαι καὶ αὐτῶ, ὅπως μισθὸν τοῖς λό-
γοις σε συήκουσα μετ' ὀλίγον χρόνον λάβη.

*Ita prolixiori animi affectu,
quam verborum ambagibus
adplaudit*
Jacobus Krook / B. F.
Nyland.